

144.
C A R M E N
DE GLORIOSA
CHRISTI IN COE-
LVM ASCEN-
SIONE.

A D

M A G N I F I C V M , N O -
B I L I T A T E G E N E R I S , S A -
pientia, doctrina, virtute, autoritate &
consilio clarissimum virum Dn. Nicolaum
Rhedingerum, inclytæ Vratislaviensis Rei-
pub. Præfectum dignissimum, Verum com-
munis patriæ parentem: Meccena-
tem suum, digna animi reue-
rentia colendum.

Scriptum

a

GREGORIO FRISCH
VRATISLAVIENSE.

Lipsiæ, imprimebat Ioannes
Beyer, Anno 1579.

GLORIOSA CHRISTI ASCENSIO.

ROMA triumphales posuit Victoribus aras,
Atq; acres rutilo pugnas conflavit in arc:
Sic me Sancta, iubet, multos servata per annos
Religio celebrare Ducu superum, hostibus orci
Deuictis partem generoso sanguine palmam
Caelestemq; pia meditari laude Triumphum,
Qualem letitia exultans nunquam Itala tellus
Viuit, et huic similem nulla unquam proferet aras
Mos erat Hesperio in latio, si Martius heros
Sanguinea hostiles fudisset strage phalanges,
Dux quadraginta soles fulgeret in armis
Ad pugna loca commissa, ne forte quis hostis
Arma recolligeret, belli et noua damna pararet:
Aut etiam fraudem fugiendo noceret, & post
Victorem insidijs inopino Marte fugaret.
Hic ne pro patria pugnantem in glorius esset
Martis amor, merita sed iniret premia palmae:
Romani proceres Reducti felicibus armis,
Sublimis alta statuebant laude Triumphos.
Ante triumphalem curram longo ordine gentes
Victa incedebant manibus post terga reuinctis.
In meo Victor, pugna spolia ampla reportans,
Militia pubis magna comitante caterua
Ibat onans, palma & referebat clarus honores:
Spectatum hinc Virtute Ducem ad Capitolia summi
Ducebant Iouis, eximius qui altaria donis
Ornans, Dijs Italis notum immortale sacrabat,
Et post exuvias dulces, Tibi magne Trophaeum
Bellipotens statuens, praestantia dona ferebat



505352

In

In populi medium, qui post praemia canendo
Amplam incendebant Victoris laudibus urbem.
Tales res Itala Romanorumq; triumphis.

Non huic dissimilem forma Rex magnus olympi
Exegit pompam, uicta qui morte resurgens
Ad loca supplicij, quibus ille salutifer agnus
Mactatus meruit caelestem sanguine uitam,
Tot mansit soles, quod habebas Maxima Roma.
Ac postquam instarent caelestis lata Triumphis
Tempora, conspectu medio, quod linqueret auras
Vitales nostram caelo carnemq; locaret:
Victor captiuos hostes cum carcere capto
Duxit in opprobrium, faciens ludibria, vinctum
Qui tota Adamum cum posteritate tenebant.

Forma quidem similis, sed non est, exitus idem,
Nec parit aequales eadem uictoria palmas.

Nam non caelorum Regi mundana potestas
Deuincenda fuit, non hic decernere ferro
Fas fuit, aut decernatum est terrestribus armis.
Qualia Dux superorum unius fulmine uocis
Strauit, ubi pubem Iuda terrebat in horto:
Ast ictus colubri, et primorum crimine patrum
Labes, qua miser nascentem infecerat orbem,
Hincq; necis rabies turbata premia legis,
Tartara cumq; ipso diuini nominis hoste,
Et similis flammis ardentibus, ira Parentis.
Hac acies soli certamina dura mouebat
Immerito CHRISTO, nec erat quo euerteret hostes,
Nisi infanda innocuum fudisset morte cruorem.

Hinc etiam CHRISTI magna est ex parte Triumphus,
Romulidum maior, tantumq; hic cogitur illi
Cedere, quantum ipsis humana potentia Dijs
Cedit, qui sibi non similem patiuntur honorem.

A

Quic

Quicquid enim in terris hominum mens inchōat alti
Haud cōstans tenues subitō euanescit in auras;
Qualis erat quondam Romana gloria gentis.
Quae lapsa in nihilum victoris morte ruebat.

At non hac anceps superos fortuna fatigat,
Vixq̃ ulla aeterni Ducis obliuiscitur atas.
Hic Dux, hic uasti mox prima ab origine mundi,
Primi quando patres fœdârunt crimine terram,
Voce triumphauit, speq̃ huius pectora lapsa
Erexit, donec mortali corpore sumpto
Hoc opus eximia perfecit laude salutis.

Nec dum etiam Christo desunt præconia laudis
Hac ætate, licet nostris non uiderimus ipsum
Luminibus magni conscendere limina celi.
Non desunt testes tot millia scripta sacrorum
Vatum, non diu purissima dogmata verbi,
Qua nostrum Regem testantur nunc reductum
Ad superos, ubi nunc pro Mæstata uerenda
Omnibus aqua huius dat iura potentibus Orōis.

Sic CHRISTI h. manos cuiusq̃ palma labores
Aeternumq̃ meret victoris nomine dici.
Iusta igitur nostras pertendant gaudia mentes,
Atq̃ istis meritis lati successibus omnes
Aethereo Dium Regi gratamur honorem.
Hic etenim mundi moriendo potentia strauit
Agmina restituens sancta aurea secula pacis.

Nunc seu nobis paradisi in sede colubri
Patribus infixus tethali vulnere morsus
Nil obstat, nec quid malè saucia pectora terret.
Nam superum victor multis uibicibus actus
Vulnera sustinuit (cum culpa haud conscius esset)
Negens tota hominum morsus rea morte periret.
Et licet hic Serpens ruffus uolabat iniquo

Morsu

Morsu huius Regis calcem: Tamen exitus illum
Edocuit, dictum victorem Semen Abraha,
Non igitur, quamuis attollat Sibila colla
Arduus, occulta nobis quid fraude faceſsit.
Cum sit in illius capite omnis fracta potestas.

Hoc Duce peccati cedit quoq̃ sordida nostris
Pectoribus labes, nec quid contagia ledunt,
Antiqua lapra: Hac quoniam Sanctissimus Heros
In ligno pendens insonti sanguine lauit.
Hinc quamuis hominum scelus atq̃ errata ruberent
Menstruus ut pannus, vel lintea tincta cruore:
Hac tamen (Esaia uati si credere dignum est)
Ante DEI vultum pura niuis instar habentur,
Vnius ob CHRISTI mortem, qui turpia facta
Electi populi meritorum obnubit amictu,
Ceu noua Sponsa nouo decoratur ueste mariti.

Turpida quid referam diuinae fulmina Legis,
Quae fontes animas tristem damnabat ad Orcum,
Aeternum dignas poscens pro crimine pœnas?
Hac etiam rigido multum de iure remisit,
Nec mortale genus iam angusto carcere frenat
Diuina ut quondam poscebat regula norma.
CHRISTVS enim victor (sed non sine sanguine multo)
Triste subiuit onus, nostri & quia criminis expers
Vivebat, Diuum pro nobis iussa faceſsit,
Vimq̃ omnem fregit Legum, ceu Maximus olim
Iudeæ Ductor Moyses commotus ad iram
In montis geminas rupit radice tabellas.
Sic lex humanas mentis haud amplius urget:
Quin imò primas sordes & saucia corda
Detegit, ac ueram iubet explorare Salutem,
Ac ueluti sanie tabog, fluentia membra
Acri explorantur primum medicamine, leſa

A 3

Rectius

Rectius ut tandem redeant in pristina Vires:
Non aliter mortale genus sub pectore factum
Vultus alit, legis diua quod norma recludit,
Aeriam summi monstratq, Machaonis artem,
Aspera nil igitur Diuum nos iussa fatigant
Nonq, sedent magis vltices in limine cordis
Dira, quae pœnas nostro pro crimine poscant.
Tu quoq, mortalis uita implacabilis Osor
Nunc validis flexos incurua viribus arcus,
Et terre telis mortalia pectora, si quid
Sive animis siue arte vales, Certare sagitta
Nunc datur, atq, animas lethæo immergere fonti.
Sed vereor ne illum fallat lethælis arundo,
Fractaq, nequicquam depromat tela pharetris.
Tristia CHRISTVS enim semel insons somnia sensit
Et mortem vicit moriens, viq, exiit omni,
Ne nostra aeterno premerentur lumina somno.
Præterea nobis diuini nominis Hostis,
(Irarum quamuis omnes effurdât habenas
Atq, velis rursus telis concurrere victus)
Haud nocet, et frustra pertentat lubricus artes.
Namq, Duci nostro cecidit: Felicibus armis
Fortior et fortem vicit spolia ampla reportans.
Hinc licet illius rursus uiolentia gliscat
Ceu leo, qui seuo venantum vulnere pectus
Saucius arma mouet, contrâ & fremit ore cruento,
Vix tamen hæc nostras mentes tela impia terrent.
Namq, tribu Iuda multo LEO fortior extat,
Qui validus hodiè tantum conatibus hostem
Repprimat, & pulsum vi tandem cedere cogit,
Non secus ac cristata ales, quæ exterrita casu
Natorum, exactuens rostrum consurgit in arma,
Si quando exultans ex athere turbine miluus

In

In pullos auido ore furit stragemq, minatur.

Deniq, non nobis magnis terroribus obstant
Tartara, nec dira fumes graue olenis Auerni.
Summus enim victor, vinctes æternâq, ferri
Robora perfegit, portas & morte reclusit,
Ceu Simson quondam rumpebat cardine postes.

Hæc est illa Ducis summi Victoria, palma
Hoc decus, & nostro celebrandum carmine bellum.

O memoranda dies palma, tû Maxima semper.
Dicêris nobis, & eris tu Maxima semper.
Nam ueluti monitu quo deflexere parentes
Ille dies primus lethi, primusq, malorum
Causa fuit, qua nos pallens mors occupat omnes:
Sic ex quo CHRISTVM cœlesti in sede fatemur
Aequauum patri, discrimina nulla timemus.
Est inuenta quies, est meta extrema malorum
Aerumnis factura modum, acceptissima multis
Atq, optata dies, qua nobis quicquid acerbum,
Horrendum, graue, triste, ingens, vel quicquid iniquum
Et crudele fuit, CHRISTO regnante recedit.

Nunc illud tempus, pulcra quod imagine pictum est
Isacida populo, quo libertate recepta
Seruitio bello captis, exire licebat.
Nos miseros Sathana uiolentia saua tenebat
Vinctos, æterna nec erat spes vlla Salutis
Æthereis venit de sedibus Vnica proles
Æterni patris, hæc tantos miserata labores
Restituit uinctos, & pristina iura reduxit.
Propterea hic etiam Capitolia sancta parentis
Ingressus victor cælorum sceptrâ gubernat.
Nec tamen idcirco tranauit nubila, nostri
Vt curam exueret: Verum documenta reliquit
Se verum esse DEI natum, qui missus olympo

Amisam

*Amisſam innocuo reparare morte Salutem.
Sicq̃ docet nobis cœleſti in ſede paratum
Optatum hoſpitium, quo ſolum tendere fas eſt.
Nulla etenim mundo pax eſt: Pax aurea cœlum
Incolit. Huc quoniam noſtram carnem eſſe locatam
Credimus, & CHRISTVM caput huc nos membra
(ſequemur.*

*Sed tamen in duro dum Sancta Eccleſia mundo
Militat hic ſummus Michael ſtat fortis in armis
Charo pro populo, lethalesq̃ excipit ictus.
Non ſecus ac quando lupus inſidiatur ouili,
Sollicita inſidias prauertit cura Magiſtri:
Sic pro plebe ſua pugnat Sanctiſſimus heros,
Atq̃ etiam ſummi pro nobis flaminis inſtar,
Sordibus humanis commoti Numina patris
Fleſcit, & innocua obnubit fera crimina morte,
Donec parta quies, & meta extrema malorum
Ingruat, atq̃ ſuos ſecum ſuper aëra ducat.
Interea ſed ne ſpe decipiamur inani
De ſuper aëry demittit Flaminis auram,
Qua dulci firmat dubitantia pectora verba.
Vt certò noſtram cœleſti in ſede locatam
Fidamus carnem, Ac Chriſtum cum Numine Patris
Et Flatu ſacro cœlorum ſcepta tenere:
Donec in occurſum (claro cum buccina ſigna
Leta dabit ſonitus) CHRISTO rapiemur in æthrā,
Atq̃ oculis noſtris primaſque ex crimine ſquamis
Deterſis, coram lati ſpectabimus ipſum
VICTOREM Colubri, æternū cui vota feremus
Sicq̃ immortales toto celebrabimus aſſu.*

FINIS.

4 V. 172